

mis ecclesiae saeculis occurrat, qui epistolam ad hebraeos *Pauli* nomine aperte producat, mature tamen satis cum graecis patribus convenit; et a quarto saeculo ad nostrum usque, nullum de hoc inter ecclesiam graecam et latinam discrimen cernitur; prout praeter alios *Calmetus* testatur et probat. Nam *Hilarius* (1), *Ambrosius* (2), *Hieronymus* (3), *Augustinus* (4) et *Rufinus* (5), et alii deinceps omnes epistolam ad hebraeos ut Paulinam agnoscunt et frequentissime citant, *Philastrius* vero in catalogo haereticorum, inter haereticos numerare non dubitavit, qui eam epistolam reiciunt, vel *Pauli* esse negant. Praeterea nomine apostoli *Pauli* haec epistola legitur in ecclesia, in die Natalis Domini ad tertiam missam, et alias frequenter. Producta etiam in testimonium ac recepta est, ut *Pauli* a multis antiquissimis pontificibus, ut *Clemente I* (6), *Innocentio I* (7), *Gelasio I* (8). Ponitur quoque in canone sacrarum Scripturarum nomine *Pauli* a concilio *Carthag.* III. can. 47, et *Trid.* sess. 4.

74. Ostenditur II. Ex CHARACTERIBUS HUIUS EPISTOLAE, eam esse *Pauli*. Nam in hac, sicut in aliis omnibus epistolis suis, exceptis illis ad *Galatas*, ad *Ephesios*, et ad *Titum*, carissimi sui *Timothei* mentionem facit *Paulus*. Sic enim ad *Hebr.* 13, v. 23, scribit: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo, si celerius venerit, videbo vos.* Item epistolam ad hebraeos eodem fere, quo caeteras more concludit, nimirum vobis ad *Hebr.* 13, v. 20: *Deus autem pacis... aptet vos in omni bono.* SALUTATIO-

(1) L. 12 de Trinit.

(2) L. 2 de Cain, cap. 2.

(3) In Epist. ad Dardanum de Terra promissionis.

(4) L. 2 Doctr. Christ. cap. 8.

NE ad *Hebr.* 13, v. 24: *Salutate omnes praepositos vestros, et omnes sanctos.* SIGNACULO II. *Thessal.* 3, v. 17, indicato his verbis: *Salutatio mea manu Pauli; quod est signum in omni epistola. Ita scribo. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, amen.* Iam autem hoc signaculo auctor epistolae ad hebraeos clare utitur, claudens epistolam suam his verbis: *Gratia cum omnibus vobis. Amen.* Ad *Hebr.* 13, v. 25. Insuper in epistola ad hebraeos (sicut in epistola ad *Philipp.* cap. 4, v. 7 et 13, 14 et 17. Item ad *Coloss.* cap. 4, v. 18, atque II. *Timoth.* c. 2, v. 9. Et ad *Philem.* v. 10 et 13) fit mentio vinculorum *Pauli* ad *Hebr.* 10, v. 34. *Nam et vinculis (τοῖς δεσμοῖς μου vinculis meis) compassi estis.* Praeterea alia adhuc plura produunt, epistolam hanc esse *Pauli*. Scriptor enim huius epistolae voce *mediatoris* ad Christum designandum saepe utitur: ad indicandum autem eundem Christum non solum s. *Paulus* hanc vocem etiam alibi (*I. Timoth.* 2, v. 5) etc., adhibet, sed etiam a nemine alio apostolorum aliquando eam adhibitam fuisse legimus. Accedit, quod scriptor epistolae ad hebraeos c. 13, v. 18, duo faciat: rogat primo eos, ad quos scribit, ut pro se ad Deum orent; deinde ad suam integritatem bonamque conscientiam appellat his verbis: *Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conscientiam habemus in omnibus bene volentes conversari.* Utrumque autem *Paulus* saepius fecit etiam in aliis epistolis. Nam orationibus aliorum sese commendat ad *Rom.* 15, v. 30, ad *Ephes.* c. 6, v.

(5) In Symbolum.

(6) In ep. ad Corinthios apud *Eusebium*, lib. 5, c. 58.

(7) In epist. 5 ad *Esuperium*.

(8) In concilio episcoporum 70.

49, ad *Coloss.* 4, v. 3; item 2 ad *Thessal.* 3, v. 1. A sua vero bona conscientia testimonium accipit ad *Roman.* 9, v. 1; item II. ad *Corinth.* 1, v. 12, ac II. ad *Timoth.* 1, v. 3. Insuper auctor epistolae ad *Hebr.* in fine capituli 13, v. 20, rogat *Deum pacis*, sicut etiam facit ad *Roman.* cap. 15, v. 33, et c. 16, v. 20; item II. ad *Corinth.* c. 13, v. 11, ad *Philipp.* 4, v. 9, ac 1 ad *Thess.* 5, v. 23. Tandem sic argumentor. Auctorem epistolae ad hebraeos id sibi peculiariter proposuisse, ut demonstraret, Christum *Moyse* longe esse praerellentiorem, eundemque fuisse causam nostrae salutis; Christi sacerdotium *levitico* plurimum praestare; novam hostiam induci oportuisse propter imperfectionem hostiarum, quae in veteri testamento adhaebantur; ac praeceptis novi testamenti adhaerendum; hunc, inquam, eius epistolae auctoris scopum esse (ut iam in prooemio ad hanc epistolam observavi) nullus sane negare potest, qui hanc epistolam attente perlegerit; sed haec omnia nemini melius, quam *Paulo* conveniunt; ergo *Paulus* est auctor huius epistolae. Prob. min. *Paulus* ille fuit, qui, uti ipse ad *Galatas* (1) testatur, *Cephae* seu (ut communissima est sententia) *Petro* in faciem restitit, quia gentes cogebat iudaizare: *Paulus* fuit, qui pariter ad *Galatas* (2) scripsit: «Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi; et nos in Iesu Christo credimus, ut iustificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.» Et ad *Romanos* scribens idipsum aperte as-

(1) Ad *Galatas*, c. 2, v. 11.

(2) *Ibidem*, v. 16.

(3) Ad *Romanos* c. 5, v. 20.

(4) *Actor.* c. 21, v. 28.

seruit (3) his verbis: *Quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Aliunde vero illud quoque constat, adversus *Paulum* gravem persecutionem a iudaeis excitatam fuisse, quia, inquebant (4): «Hic est homo, qui adversus populum et legem, et locum hunc omnes ubique docens, insuper et gentiles induxit in templum, et violavit sanctum locum istum.» Ergo ea omnia, quae traduntur in epistola ad hebraeos, nemini melius quam *Paulo* conveniunt. Unde etiam, spectatis characteribus huius epistolae, luculenter patet, eum esse eiusdem epistolae auctorem.

75. Ostenditur III. Ex INFIRMITATE ARGUMENTORUM CONTRARIORUM, quod epistola ad hebraeos auctorem habeat s. *Paulum*; uti patebit ex consequentibus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA
CONTRA EPISTOLAE AD HEBRAEOS
AUCTOREM S. PAULUM

ARGUM. I. Prudens vetustas, uti *Magdeburgenses* aiunt, de hac epistola dubitavit, an ea sit *Pauli*; ergo non est adeo certum, auctorem huius epistolae esse *Paulum*. R. Inapte dici, vetustatem de hac epistola dubitasse, cum adversarii paucos solum pro sua sententia proferre possint; nos vero tot pontifices, tot concilia, imo antiquissimum universae ecclesiae sensum pro nobis habeamus; ut supra (5) ostendimus, et praeter alios cl. *Thomas Cerboni* (6) fuse demonstrat.

SCHOLIUM. Has *Erasmii* propositiones: *De epistola ad hebraeos auctore semper est dubitatum, et ut ipse ingenue fateatur, adhuc dubito;* has, inquam, propositiones facultas

(3) Num. 75.

(6) *Theologiae revelatae*, l. 5, q. 2, art. 2, § 5, pag. 278-251. Item p. 254-240.

theologica parisiensis censura statim perstrinxit ita sonante: *Hae duae propositiones arroganter et schismaticè asseruntur contra usum et determinationem ecclesiae in multis conciliis, etc. Nec verum est, semper dubitatum esse de auctore huius epistolae ad hebraeos, cum scribat Origenes, quod ante tempora sua antiqui et maiores eam ut Pauli apostoli suscipiebant.*

76. ARGUM. II. Epistola ad hebraeos non habet adiectum initio nomen *Pauli*, ut habent omnes aliae paulinae epistolae: ergo *Paulus* illius epistolae non est auctor. R. I. Ipsi *Magdeburgenses*, qui praeter alia etiam hoc argumentum contra epistolam ad hebraeos asserunt, fatentur teste *Bellarmino* (1) hoc argumentum non esse usque adeo grave. R. II. Cum *Hieronymo* (2): Si ideo epistola ad hebraeos non est *Pauli*, quia non habet praefixum nomen *Pauli*, ea nullius esset, quia nullius habet nomen. Adde quod epistola I. s. *Ioannis* pariter non habeat eius nomen praefixum (reliquae duae autem solum nomen *Senior*), et tamen eandem *Ioannis* esse minime dubitatur. E contrario evangelia quaedam nomen *Thomae*, *Bartholomaei*, *Iacobi*, *Nicodemi*, praeferebant, et ab omnibus tamen, nec immerito reiciuntur.

Addo praeterea iustis de causis nomen suum epistolae ad hebraeos *Paulum* non addidisse. Vel enim id fecit, ut *Hieronymus* (3) docet, quia sciebat nomen suum hebraeis inuisum esse, quamvis ad Christi fidem iam conversis, propterea quod ipse prae ceteris legem veterem esse ab-

(1) L. 4 de verbo Dei, c. 47.

(2) Praefat. in epist. s. *Pauli*.

(3) Catalog. Scriptor. ecclesiast. voce: *Paulus*, ita ait: *Quia Paulus scribebat ad Hebraeos, propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputavi*

rogatam acerrime contenderet, cuius legis illi hebraei adhuc *aemulatores* (4) erant. Vel, ut idem *Hieronymus* alibi (5) docet, quia in epistola ad hebraeos c. 3, v. 1, dicturus erat, Christum esse *apostolum confessionis* (id est religionis) *nostrae*: proin noluit initio se more solito *Paulum apostolum* nominare, ne videretur se cum Christo aliqua ex parte conferre. Vel denique, ut *Theodorelus* (6) docet, quia *Paulus* non erat apostolus hebraeorum, sed gentium, ut ipsemet ad Galatas 2, v. 7 et 8 fatetur. Unde noluit, more solito, incipere *Paulus apostolus*, sed nudam doctrinam exponere, non quasi apostolus et magister, sed ut amicus et socius. Quocirca in fine epistolae ponit: *Rogo autem vos, fratres, ut sufferatis verbum solatii, etenim perpauca scripsi vobis, etc.*, quasi dicere velit, non aegre feratis, si ego, qui proprius apostolus vester non sum, per literas vos moneo et cohortari volui. Id enim feci ut vos consolarem, non ut imperarem. Porro has omnes rationes teste *Bellarmino* loc. cit. etiam attigit *Clemens Alexandr.* (7), ut explicaret cur s. *Paulus* epistolae ad hebraeos nomen suum non praefixerit.

77. ARGUM. III. Epistolae ad hebraeos stilus est longe diversus a caeteris *Pauli* epistolis. Dictio enim epistolae ad hebraeos longe gravior, copiosior, et ornatior est, quam caeterarum: ergo illius auctor non est *Paulus*. R. Omitto ant. neg. cons. ac quaero ex adversariis: An, quod et nunc saepe usu venit, stilum suum *Paulus* in epistola ad hebraeos mutare non potuit? An non scri-

(4) Act. c. 21, v. 20.

(5) In cap. 1 ad Galatas.

(6) Praefat. comm. in epistolam ad Hebraeos.

(7) Apud *Eusebium*, lib. 6 hist.

ptores etiam profani interdum stilum mutant, et in aliquibus suis scriptis sublimi, in aliis mediocri aut humili dicendi ratione utuntur? Praeterea an non epistola, de qua loquimur, potuit hebraice primum esse scripta, ac dein in graecum translata a *Luca* stilo politiore, prout revera factum esse existimant *Eusebius* (1) et *Clemens Alexandrinus* apud *Eusebium* (2)? An non ipse s. *Paulus* (prout communior sententia cum s. *Hieronymo* docet) lingua hebraica, quae ipsi vernacula et admodum elegans fuisse dicitur, potuit hanc epistolam lingua hebraica ad hebraeos scribere, cum caeteras epistolas graece exaraverit? Verum de hoc infra quaest. 2, n. 81, plura dicemus.

Sic igitur concludimus. Quamvis negari non possit ob dicendi rationem ab ea diversam, qua quispiam alias uti consueverit, probabiliter conieci posse, aliqua scripta alicui tribuenda non esse, quando et cur illa usus fuerit, nulla causa afferri potest, et multa suadent eius non esse illud opus, de quo disputatur: tamen si huius diversitatis occurrat ratio idonea, et aliunde plura habeantur, quae illud opus ei, cui vulgo tribuitur, tribuendum esse dubitari non sinant; tunc propter diversam rationem dicendi de auctore alicuius operis recte dubitari non posse contendimus: alioquin nimis multa essent, quae a suis auctoribus abiudicari deberent. In epistola ergo ad hebraeos, licet diversa a caeteris *Pauli* epistolis dicendi ratio adhibeatur, quia tamen et huius diversitatis causa valde idonea afferri potest, et multa sunt, ob quae *Paulo* apostolo tribuendam eam esse constat, non est cur quispiam iure hac de re dubitare possit.

(1) L. 5 Hist. c. 58.

Caeterum *omisi* antecedens argumenti hic obiecti, scilicet quod epistolae ad hebraeos stilus sit longe diversus ab aliis paulinis epistolis; quia non omnes id simpliciter concedunt, sed contendunt huius epistolae stilum a caeteris *Pauli* epistolis non longissime distare, plurimasque locutiones, quae in caeteris occurrunt, eundemque ratiocinandi modum, eosdem *Pauli* hebraismos, rariores quidem et politiores, etiam epistolae ad hebraeos ita interseri, ut eius auctor, sicut et caeterarum, *Paulus* apertissime dignoscatur.

78. ARGUM. IV. Auctor epistolae ad hebraeos cap. 2, v. 3, et 4 ponit se in numero eorum, qui ab apostolis ad fidem conversi sunt; dicit enim: *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? quae cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis qui audierunt, in nos confirmata est; contestante Deo signis et portentis, et variis virtutibus etc.* At *Paulus* ad Galatas c. 1, v. 11 et 12 graviter affirmat se non ab homine, nec per hominem, sed a Christo per revelationem didicisse evangelium; non igitur *Paulus* epistolae ad hebraeos auctor est. Atque huic argumento maxime nituntur *Magdeburgenses*, ut *Bellarminus* loc. cit. ait. R. *Paulus* merito ponit se in numero eorum, qui ab apostolis confirmati sunt in fide, contestante Deo signis et prodigiis. Quis enim negare potest *Paulum*, quando conversus est, etsi evangelium plenissime didicerit per revelationem, tamen confirmatum esse in fide, auditis miraculis *Petri* et aliorum apostolorum, item ac praecipue eo miraculo, quo ipse per manus *Ananiae* lumen oculorum recepit? Dein

(2) L. 6, c. 41.

quamvis quod evangelizaverat, a Christo acceperit *Paulus*, suam tamen praedicationem confirmatam per eos, qui audierant, id est per apostolos, *Paulus* recte affirmare potuit. Nam post tres a sua praedicatione annos Hierosolymis *Petrus* viderat, tribusque diebus cum eo manserat (1); post quatuordecim vero annos simul cum *Barnaba* ascendit iterum Hierosolymam, et tunc, ut ipse ait (2) *Iacobus et Cephas et Ioannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi, et Barnabae societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcissionem*. Denique, si obiectus textus (ut *Cornelius a Lap.* et *Menochius* volunt) hoc sensu accipiatur, quod salus (id est, salutis evangelium, et annuntiatio) in nos (id est, usque ad nostra, nempe *Pauli* haec dicentis tempora) confirmata sit, contestante Deo signis et portentis etc., si, inquam, textus hoc sensu accipiatur, per se nihil probat pro sententia adversariorum, ut cuius rem hanc consideranti facile patet.

79. ARGUM. V. Ab *Erasmio* et *Caietano* in medium productum. Auctor epistolae ad hebraeos cap. 9, v. 20 loquens de testamento proprie dicto, quod morte testatoris confirmatur, allegat verba Exodi c. 24, v. 8, et sic ait: *Hic sanguis novi Testamenti, quod mandavit ad vos Deus: atqui in Exodo cit. loc. secundum hebraicam veritatem nulla fit mentio testamenti, sed pacti; illa enim verba Exodi c. 24, v. 8 non habent alium sensum, quam istum, ecce sanguis foederis (seu pacti) quod pepigit Dominus vobiscum super omnibus verbis istis; ergo aut Paulus non callebat hebraicam linguam, aut epistolae ad hebraeos auctor non est.*

(1) Ad Galatas, c. 1, v. 18.

(2) Ibidem, c. 2, v. 9.

¶. Cum *Bellarmino* (3) ita ratiocinante: « Vel est quaestio de re, vel de nomine: si de nomine; iniuste *Erasmus* hunc auctorem (nempe epistolae ad hebraeos) accusat. Nam non solum iste auctor, sed etiam LXX interpretes vocem ברית perpetuo vertunt *διαθήκη* id est testamentum, ut patet ex psalmis, quos ex versione LXX habemus, et ex Hieronymo in cap. 2 Malachiae, ubi affirmat, LXX semper fere vertisse testamentum. Et apostolus *Paulus* Rom. c. 9, Gal. c. 3 et 4 et alibi loquens de lege vetere, semper testamentum vocat id, quod hebraei dicunt ברית, imo adeo trita est in ecclesia haec vox testamentum pro hebraica voce ברית, ut nihil frequentius dicamus vel audiamus, quam testamentum vetus et testamentum novum. »

« Si autem non de nomine, sed de re quaestio est, quasi auctor huius epistolae (ad hebraeos) ad testamentum proprie dictum detorserit hunc locum Exodi, in quo agitur de foedere; respondendum est, promissionem vitae aeternae, de qua per figuras in testamento veteri, et aperte in novo agitur, esse simul testamentum et pactum: testamentum, quia continet dispositionem de haereditate aeterna danda filiis Dei, quae non fuit rata ante mortem testatoris. Testamentum enim est dispositio de haereditate, quae non prius rata est, quam testator moriatur: est autem simul pactum illa Dei promissio, quia habet annexam conditionem. Non enim vult testator Deus dare haereditatem aeternam nisi iis, qui leges suas observaverint: et hac ratione dicitur foedus et pactum. Iam ergo de eadem re loquitur *Moyses* Exod. c. 24, v. 8 et *Paulus* hebr. c. 9, v. 20,

(3) Loc. cit.

et *Moyses* quidem vocat pactum, sed intelligit non quodcunque pactum, sed pactum de danda haereditate post mortem testatoris, et propterea sanguinem aspersit in populum, qui figura est sanguinis Christi pro nobis effundendi; *Paulus* autem vocat testamentum, sed intelligit de testamento non qualicunque, sed conditionato, id est quod simul sit pactum. »

80. ARGUM. VI. Epistola ad hebraeos scripta post mortem *Pauli* apostoli videtur: ergo *Paulus* non est huius epistolae auctor, ant. prob. Ad hebr. c. 13, v. 23 mentio fit liberationis *Timothei* (1) e vinculis, ad quem tamen *Paulus*, paucis ante mortem suam diebus, 2. epistolam dedit, quin ullam de *Timothei* captivitate mentionem ingerat: ergo et captivitas et liberatio *Timothei* primum post obitum *Pauli* contigit: proin huius liberationis mentionem in epistola ad hebraeos loc. cit. non *Paulus*, sed alius eiusdem epistolae scriptor fecit.

¶. Neg. ant. ad probat. dico, epistolam ad hebraeos ex communiore calculo scriptam esse anno Christi 63, antequam utraque ad *Timotheum* epistola a *Paulo* scriberetur: quarum priorem anno Christi 64, posteriorem anno 65 scriptam supra (2) diximus; unde et liberatio *Timothei*, de qua Hebr. c. 13, v. 23 mentio fit, ante evenit, quam vel primam ad *Timotheum* epistolam *Paulus* daret; id quod confirmatur illis apostoli verbis 1. ad *Timotheum*. c. 6, v. 12: *Certa bonum*

(1) Verba ad Hebr. c. 13, v. 23, sunt haec: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum* (Syrus vertit vinculis solutum): cum quo (si celerius venerit) videbo vos.

(2) Vide initio sect. 2 tabulam chronologicam Epistolarum s. *Pauli*, paulo ante num. 24.

*certamen fidei, apprehende vitam aeternum, in qua vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus, ubi manifeste praeter lapsam *Timothei* calamitatem insinuat *Paulus*, nempe eam, a qua illum liberatum scribit ad hebr. loc. cit.*

Caeterum ex hoc ipso, quod auctor epistolae ad hebraeos loc. cit. fratris *Timothei*, quocum hebraeos invisere promiserat his verbis: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo (si celerius venerit) videbo vos*, mentionem faciat, ex hoc, inquam, haud obscura elucet s. *Paulum* esse auctorem epistolae ad hebraeos; uti etiam *Pearsonius*, *Dupinus*, *Tillemontius* et *Millius* observant. Certe *Paulus Timotheum* itinerum et laborum suorum socium assumpsit, nec solum *carissimi* filii (3), sed fratris etiam nomine (4) appellavit.

81. ARGUM. VII a nonnullis oppositum. Ab aliquibus commentaria edita fuere in tredecim epistolas apostoli *Pauli*, ea ommissa, quae inscribitur ad hebraeos; ergo huius epistolae auctor non est *Paulus*. ¶. neg. cons. Plures enim aliae huius rei causae subesse potuerunt, quas ne divinando quidem consequi possumus. Numquid enim ab expositione huius epistolae ob ea ipsa dubia retrahi nequiverunt, quae de ea apud nonnullos imperitos circumferebantur? Anne ipsa rei difficultate absterri non potuere? anne demum etiam contingere non potuit, ut huius epistolae commentaria ab aliquibus ommissa fuerint, quia, cum sit ultima omnium, interpretes illi viribus defecerint, vel

(3) H. *Timotheum*. c. 4, v. 2. *Timotheo carissimo filio*, etc.

(4) I. *Thessal.* c. 5, v. 2, *Misimus Timotheum fratrem nostrum... ad confirmandum vos*, etc.

aliter impediti fuerint, quando ei exponendae manum imponere constituerant? quam multa enim opera ob varias multiplicesque causas imperfecta relinquuntur!

Caetera adversariorum argumenta, quae contra auctorem epistolae ad hebraeos s. *Paulum* asserre solent, commodius solvemus infra (1), acturi de canonica huius epistolae auctoritate et difficultatibus, aut antilogiis apparenter talibus in ea occurrentibus. Interim illud solum adhuc observo, adeo patenter constare, epistolam ad hebraeos s. *Pauli* esse, ut in dubium id revocare non praesumpserit *Flaccius*, *Chytraeus*, *Palladius*, *Gesnerus*, *Gerardus*, *Hornetus*, *Callixtus*, aliique etiam recentiores a magistro suo *Luthero* quoad rem istam deficientes; prout refert et testatur *Fridericus Spanhemius* (2).

82. QUÆRES II. *Qua lingua epistola ad hebraeos scripta fuerit?* Quo sermone, graeco ne, an hebraico vel syriaco conscripta fuerit haec epistola, auctores non conveniunt, prout ex dicendis in hac et sequenti quaestione patebit. Communior et verisimilior videtur esse sententia illorum, qui contendunt, *Paulum* scripsisse hanc epistolam hebraice, utpote hebraeum hebraeis: hebraice inquam, non pure, sed corrupte, quia syriace, uti locuti sunt iudaei post reditum e Babylone et tempore Christi. Et profecto congruebat omnino, et hebraeorum maxime in Iudaea (3), ad quos

(1) Num. 90-105.

(2) Miscellaneorum sac. antiq. l. 2, part. 1, c. 9, n. 5.

(3) Epist. ad hebraeos scripta est quasi circularis ad omnes hebraeos toto orbe dispersos, sed maxime ad hebraeos in Iudaea degentes, ut per omnes eorum ecclesias legeretur. Id facile colligitur ex cap. ult. v. 25, ubi *Paulus* se cum *Timotheo* propediem ad eos, scilicet in Iu-

scribebat, conditio postulabat, ut s. *Paulus* dictam epistolam hebraice, h. e. syriace, vernaculo apud ipsos sermone scriberet, quo hebraei epistolam legere et in usum convertere possent. Certe cum Actor. cap. 21 et 22 s. *Paulus* libertatem tractus esset ad hebraeos hierosolymitanos verba faciendi, cum graece loqui posset, hebraice potius locutus est, probe gnarus iudaeos alio sermone rem non satis intelleturos. Sic enim Actor. cap. 21, v. 40 et cap. 22, v. 2 legimus: *Et cum ille (tribunus) permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, et magno silentio facto, allocutus est lingua hebraea, dicens..... cum audissent autem, quia hebraea lingua loqueretur ad illos, magis praestiterunt silentium.*

CONFIRM. I. Ex sensu patrum, *Clementis Alexandr.* (4), *Eusebii* (5), *Theodoreti* (6), graeci anonymi apud *Oecumenium* (7), et praecipue s. *Hieronymi* (8), quibus accedunt plurimi interpretes, non pauci etiam inter protestantes, ut testatur *Spanhemius*; qui omnes defendunt, epistolam ad hebraeos scriptam esse hebraice. Hinc ipse *Calmetus* (9), quamvis sit contrariae opinionis et censeat hanc epistolam ab apostolo scriptam esse graece, tamen fatetur suam sententiam esse pauciorum, nostram vero esse plerorumque veterum.

CONFIRM. II. Ex stili diversitate epistolae ad hebraeos ab aliis epistolis s. *Pauli*, eaque tam notabili,

daeam, venturam significat. Ita observat *Cornelius a Lap.* in prooemio Epist. ad hebr. *Quaeritur quarto.*

(4) Apud *Eusebium* hist. eccl. l. 6, c. 11.

(5) Hist. eccl. l. 5, c. 58.

(6) Praefat. in epist. ad hebr.

(7) Ibidem.

(8) In catalogo scriptor. eccl. in voce: *Paulus*.

(9) In Epist. ad hebr. Prolegom. art. 2.

ut multi olim hanc epistolam *Paulo* abiudicarent. Cessat autem difficultas omnis, si cum s. *Hieronymo* dicamus, *Paulum* scripsisse quidem hanc epistolam hebraice (cum ceteras epistolas suas graece scripserit), sed a s. *Luca* hebraeum archetypum brevi versum esse eloquentiori stilo in graecum, ex qua versione graeca desumpta est nostra versio latina, quam hodie habemus. Verba s. *Hieronymi* (1) sunt haec: *Scriptis (s. Paulus hanc epistolam) ut hebraeus hebraeis hebraice, id est, suo eloquio disertissime, ut ea, quae eloquenter scripta fuerant in hebraeo, eloquentius verterentur in graecum, et hanc causam esse, quod a caeteris Pauli epistolis discrepare videatur.*

83. SCHOLION. I. Adversariis, qui negant epistolam ad hebraeos a s. *Paulo* scriptam esse hebraice, voluntque eam graece (sicut caeteras paulinas epistolas) fuisse exaratam, his adversariis, inquam, multum negotii faecisset diversitas stili in epistola ad hebraeos prae aliis paulinis epistolis. Quodsi enim, ut ferre assolent, dicant, res et sententias in illa epistola contentas esse quidem *Pauli*, phrasin autem et constructionem alterius, v. g. *Lucae* aut *Clementis*, qui iussu *Pauli* epistolam hanc sua eloquentia graeca scripserint et exornarint, indeque ortam esse diversitatem stili huius epistolae ab aliis paulinis epistolis; si, inquam, adversarii hoc dicant, praestare pariter deberent, *Lucam* vel *Clementem* in graeca eiusdem epistolae elocutione fuisset theopneustos, simulque ostendere, quo nihilominus pacto haec epistola s. *Paulo* non secus ac aliae eiusdem epistolae ex communi sensu adscriba-

(1) Loc. cit.

(2) Introd. in s. Script. p. 5, sect. 2, de epistola ad hebr. § 7, pag. 421.

tur; cum tamen sic non tam *Paulus* quam *Lucas* aut *Clemens* huius epistolae esset scriptor hagiographus, utpote scribens et concinnans singulas huius epistolae sententias, non ex se, sed inspirante Spiritu sancto. Unde cl. *Hermannus Goldhagen* (2) haud immerito ait: *Qui cum Calmeto secus arbitrantur* (nempe epistolam ad hebraeos originaliter non hebraice, sed graece scriptam esse) *plerique protestantes, cuneum satis validum contra hoc argumentum* (de diversitate stili in epistola ad hebraeos ab aliis paulinis epistolis) *quaerant.*

SCHOLION II. Quamvis *Lucas* aut *Clemens* epistolam ad hebraeos non scripserint dicto modo ad iussum *Pauli*; tamen eam ab ipso s. *Paulo* hebraice scriptam brevi s. *Luca* in graecum vertit, uti cum *Clemente Alex.* apud *Eusebium* (3) censent *Cornelius a Lap.* (4) aliique. *Pauli* enim archetypum hebraeum dictae epistolae brevi deperditum fuisse ferunt, cum ex veteribus nemo unius illud se vidisse meminerit. Quod mirum non est, cum etiam *Matthaei* evangelium, plurimis in locis maximo in honore habitum, et ab *Origene* et *Hieronymo* perlectum, duodecim abhinc retro seculis penitus interciderit.

Neque dicas, epistolam ad hebraeos hebraice editam etiam nunc extare; nam haec quae extat, non est archetypum hebraeum s. *Pauli*, sed recentior quaedam versio ex graeco desumpta, uti omnes cum *Calmeto* (5), et *Cornelio a Lap.* (6) consentiunt.

Similiter textus syriacus epistolae ad hebraeos, qui extat in bibliis regiis, non est ipsum *Pauli* autographum; quamvis multis id suadere

(5) L. 6 hist. eccl. cap. 11.

(4) Praefat. in comment. Epist. ad hebr.

(6) Loc. cit.

conatus sit *Albertus Widmanstadius*, qui primus novum testamentum syriace in Europa imprimi curavit et *Guido Fabricius*, qui illud in latinum convertit. Nam ipse hic textus syriacus, teste *Calmeto* (1), plura suppeditat argumenta, quae versionem hanc, licet valde antiquam, ex graeco depromptam esse satis ostendunt. Accedit, quod *s. Cyrillus, Clemens, Athanasius, Theodor., Damascenus* et alii, qui in Syria vel Aegypto vixerunt et scripserunt, huius versionis syriacae non meminerint. Rursum hunc syrum textum non esse *Pauli*, nec primi illius aevi christiani, patet ex eo, quod haec syriaca versio phrasi et idiotismo discrepet a syra lingua, qua loquebantur iudaei tempore Christi et *Pauli*: prout *Cornelius a Lap.* (2) ostendit.

SCHOLION. III. Quamvis graeca epistolae ad hebr. a *s. Paulo* hebraice scriptae translatio dicatur facta vel a *s. Luca*, vel a *s. Clemente*; verisimilius tamen *s. Lucam* auctorem habet, quam *s. Clementem*. « Praeterquam enim, inquit *cl. Goldhagen* (3), quod stili ratio in epistola ad hebraeos cum stilo in actis apostolorum a *s. Luca* conscriptis mirifice consentiat, nullo etiam argumento ostendi posse videtur, *s. Clementem*, natione vel graecum, vel romanum, tanta hebraici sermonis peritia valuisse, ut tam elegantem (ex hebraico *s. Pauli* archetypo in graecum) versionem adornaret. »

Porro restant adhuc aliqua contra nostram assertionem, quod *s. Paulus* dictam epistolam hebraice scripserit, solvenda.

(1) Loc. cit. (2) Loc. cit.
(3) Introd. in *s. Script.* p. 1, sect. 2, q. 2, § 11, scholion 2, p. 232.
(4) Tom. 1 annal. eccles. ad annum Christi 60, num. marginali xlvi. Et tom.

ARGUMENTA CONTRARIA

84. ARGUMENTUM I. Si *Paulus* epistolam ad hebraeos scripsit hebraice, cur ergo citans Scripturam veteris testamenti, non eam citat iuxta textum hebraeum, sed iuxta versionem septuaginta? *q.* et dico, *Paulum* in autographo hebraeo citasse Scripturam iuxta textum hebraeum, sed graecum interpretem (nempe iuxta dicta *s. Lucam*) substituisse versionem septuaginta, utpote graecis notioem. Nisi malis dicere cum *Ribera* et aliis, illo tempore versionem septuaginta fuisse vulgata apud omnes tam iudaeos quam graecos, et e graeco in syrum idioma fuisse conversam, illudque citasse *Paulum*: unde et *Iosephus* et *Philo*, hebraei licet, septuaginta tamen versionem citant potius, quam hebraea ipsa autographa. Vide hac de re *Baronium* (4).

85. ARGUM. II. Si epistolam ad hebraeos *Paulus* hebraice scripsit, cur hebraeum nomen unum per aliud interpretatur, dicens cap. 7, v. 1 et 2: *Melchisedech... qui interpretatur rex iustitiae; et rex Salem quod est rex pacis?* *q.* et dico, *Paulum* hebraeas hasce voces interpretatum esse per alias similes, vel per easdem, sed divulsas ut sensum in iis latentem explicaret et perurgeret, dicendo v. 2 *Melchisedech*, idem est quod *melech*, id est, rex, *sedec*, id est, iustitiae; sicut latine quis recte interpretatur, dicens, armiger idem est quod arma gerens, pomifer idem est quod poma ferens. Adde, *Paulum* hebraeas voces non interpretari per hebraeas antiquas, sed per syriacas, quibus tunc loquebantur iudaei; uti observat *Cornelius a Lap.* (5).

2 ad annum Christi 251, num. margin. xxxv.

(5) Loc. cit.

86. ARGUM. III. *S. Hieronymus* praefatione in IV evangelia ait, totum novum testamentum graece scriptum esse, excepto evangelio *s. Matthaei*. Verba eius sunt: *De novo nunc loquor testamento, quod graecum esse non dubium est, excepto apostolo Matthaeo, qui primus in Iudaea evangelium Christi hebraicis litteris edidit.* Atqui si totum novum testamentum graece scriptum est, excepto solo *s. Matthaei* evangelio, hoc ipso etiam epistola ad hebraeos graece scripta est. *q.* *S. Hieronymus* loc. cit. de novo testamento non universe, sed speciatim de illo secundum evangelia spectato disserit, uti patet tum ex titulo, tum ex serie praefationis, in qua epistolarum *s. Pauli* nullam prorsus mentionem facit.

87. QUÆRES III. An epistola ad hebraeos sit canonica? *q.* Affirmative. Nam, praeterquam quod hoc iam alibi (1) luculenter ostendimus, id ipsum ulterius cum *Calmeto* (2) sequentibus argumentis confirmamus. Epistolam ad hebraeos a *s. Paulo* scriptam fuisse satis aperte supra ostendimus: ergo eandem esse Deo inspirante scriptam et canonicam, pariter facile ostendi potest. *Paulum* enim Spiritus s. lumine perfusum fuisse nemo unquam negavit; qui vero canonicam huius epistolae auctoritatem impugnant, eo ducuntur, vel quod eam *Pauli* esse negent, ut ariani (3), vel quod vitiatam et trun-

cam asserant, ut marcionitae (4), vel denique quod falsa quaedam aut verbo Dei indigna contineat, ut non pauci ex *Lutheri* asseclis contendunt. Si igitur haec ad hebraeos epistola a *s. Paulo* exarata est, uti luce clarius supra ostendimus; neque ab adversariis ulla probabili ratione evinci queat eam fuisse vitiatam et corruptam, aut erroribus et falsitatibus inquinatam, prout evinci non posse, ex solutione obiectionum patebit, divinitus dictata dicenda est et divinae auctoritatis habenda.

Sed hanc canonicam auctoritatem, quam veluti intrinsecam appellamus, maxime roborat et manifestat auctoritas extrinseca sive patrum testimonium, et unanimes ecclesiae consensus. Nam graeci semper, latini vero a quarto et quinto saeculo tanquam canonicam susceperunt; prout praeter alios *Calmetus* (5) demonstrat. Sic ex GRAECIS *Clemens Alexandr.* (6), *Origenes* (7), *Eusebius* (8), *Dionysii alexandrini*, et concilii antiocheni ad *Paulum amosatenum* epistolae, *Alexandri alexandrini* ad *Alexandrum constantinopolitanum* epistola (9), *s. Athanasius* (10), *s. Cyrillus hierosolymitanus* (11), concilii laodiceni canon sexagesimus, et *ss. Epiphanius* (12) et *Basilii* (13), *s. Gregorius naz.* (14), *s. Gregorius nyss.* (15), *s. Amphilochius* (16), *s. Gregorius thaumat.* (17), *s. Ephrem* (18), et alii epistolam ad he-

(1) Part. 4 s. Scripturae contra incredulos propugnatae, V. T., Sect. 1, q. 1.

(2) In epist. ad hebr. prolegom. art. 4.

(3) Vide *Theodoret.* praefat. in Epist. ad hebr.

(4) V. *Epiphani.* Haeresi 42. *Hieron.* proem. in epist. ad Titum.

(5) Loc. cit.

(6) *Clemens Alexandr.* apud *Eusebium*, *Hist. eccl.* l. 6, c. 14.

(7) *Origen.* apud *Euseb.* *Hist. eccl.* l. 6, c. 25.

(8) *Hist. eccl.* l. 5, c. 52.

(9) Apud *Theodoret.* *Hist. eccl.* l. 1, c. 4.

(10) De Nicaen. decret. de synod. ep. ad Serapion. etc. (11) *Catech.* 4.

(12) *Haeres.* 42 et 59.

(13) *Constit. Mon.* c. 22, et alibi.

(14) *Carm.* 54 et *Orat.* 21.

(15) De *Hypost.* t. 5, p. 55.

(16) Apud *Greg. Naz.* car. 125.

(17) *Exposit. fidei altera.*

(18) De virtut. et vit. p. 51 de torment. infern. p. 204, et alibi.

braeos tanquam canonicam ac divinam acceperunt et allegarunt, et haereticorum nota eandem reiicientes inusserunt. *Theodoretus* (1) quoque veteres arguit, quod hanc epistolam reiicerent contra ecclesiae, quae illam ipsius aetate tanquam *Pauli* foetum agnoverat, auctoritatem, et contra ipsum *Eusebii* testimonium, qui, tanquam a *Paulo* scriptam et canonicam, eandem iam allegaverat; quamvis hunc suorum dogmatum patronum appellarent.

CONFIRMATUR. Ipsi etiam ss. *Hieronymus* et *Augustinus* testantur, quod epistola ad hebraeos ab omnibus *graecis* patribus semper tanquam canonica recepta fuerit. Sic enim s. *Hieronymus* (2): dicendum est, hanc epistolam, quae inscribitur ad hebraeos, non solum ab omnibus ecclesiis orientalibus, sed ab omnibus retro ecclesiis et *graeci* sermonis scriptoribus quasi *Pauli* apostoli suscipi. Et brevius (3): Epistolam ad hebraeos omnes *graeci* recipiunt et nonnulli latinorum. Testimonium autem s. *Augustini* (4) hac de re est istud: Ad hebraeos quoque epistola quamquam nonnullis incerta sit.... magis me movet auctoritas orientalium ecclesiarum, quae hanc etiam in canonicis habent. Unde idem s. pater eandem epistolam in canone sacrorum librorum recenset (5).

88. Porro epistolam ad hebraeos tanquam *Pauli* et canonicam saltem a quarto et quinto saeculo ac ulterius

(1) Praefat. in Ep. ad Hebr.

(2) Epist. 429 ad *Dardanum*.

(3) Epist. 426 ad *Evagrium*.

(4) L. 1 de peccat. mer. et rem. c. 27.

(5) Lib. 2 de doctr. christ. cap. 8.

(6) Lib. 4 de Trinitate.

(7) De fide ad *Gratian*. l. 1, c. 4.

(8) Loc. cit. (9) Loc. cit.

(10) Lib. de non conveniendo cum haereticis.

(11) Expos. Symboli apud *Cyprian*.

etiam a LATINIS patribus saepissime allegatam scimus, videlicet a s. *Hilario* (5), s. *Ambrosio* (7), s. *Hieronymo* (8), s. *Augustino* (9), *Lucifero Calaritano* (10), *Rufino* (11), *Salviano* (12), *Cassiano* (13), *Innocentio I.* in epistola ad *Exsuperium*, *Phœbadio* (14), *Victorino* (15), etc.

Imo latini priorum etiam saeculorum auctores quidam non defuerunt, qui epistolam ad hebraeos tanquam divinam produxerint, *Clemens* papa in suis saepe scriptis textus ex epistola hac citat. Similiter s. *Irenaeus* in libris adversus haereses eiusdem epistolae auctoritatem adhibet (16). *Tertullianus* quoque (17) eandem allegat. *Hieronymus* (18) etiam a veteribus latinis eam receptam innuit, cum veterum auctoritatem sequutus, quidquid dicant recentiores, illam se suscipere profiteatur, dicens: Nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes.

Causam autem, cur latina ecclesia usque ad quartum et quintum saeculum ab hac epistola inter canonicas recensenda abstinuerit, cl. *Calmet* censet fuisse novatianorum haeresim, quae sub tertii saeculi exitum gliscere coepit. Cum enim haeretici illi quibusdam huius epistolae textibus (19) ad suos de poenitentia errores comprobandos abuterentur, existimat memoratus auctor ecclesiam latinam censuisse ei epistolae auctoritatem adiciendam.

(12) L. 4 ad eccl. cathol.

(13) Collat. 1, c. 14.

(14) L. contra *Arianos*.

(15) Adversus *Arium* l. 1, 2, et tract. de Homil.

(16) L. 2, c. 35, et l. 4, c. 21, 24.

(17) Contra *Iudaeos*, c. 2, et contra *Marcionem* l. 2, c. 8, et de pudicit. c. 20.

(18) Epist. 429 ad *Dardanum*.

(19) Vide Hebr. c. 6, v. 4 et 6, c. 10, v. 26 et 27, cap. 12, v. 16, 17.

non esse, quam nefarii in fidei perniciem detorquebant; ortisque deinde arianis sub quarti saeculi exordium, cum hi ad suos adversus consubstantialitatem et aeternitatem Verbi errores confirmandos aliis eiusdem epistolae (1) locis improbe uterentur, pariter e re fuisse, eius auctoritatem silentio adhuc praeterire. Quidquid fuerit, illud sane ex hactenus dictis constat, quarto et quinto saeculo de canonica epistolae ad hebraeos auctoritate latinam ecclesiam cum graeca consensisse. Unde tredecim ab hinc saeculis s. *Paulus* sine discrimine eiusdem epistolae auctor habetur, eam denique eidem apostolo vindicavit etiam tridentinum concilium, a quo et inter canonicas et inter *Pauli* epistolas enumerata est.

89. Denique CONFIRMATUR consensus ecclesiae latinae cum graeca de canonica auctoritate epistolae ad hebraeos etiam EX CONCILIIIS. Nam haec epistola in canone sacrarum Scripturarum nomine *Pauli* ponitur a concilio *laodiceno* canone 60 his verbis: Epistolae *Pauli* quatuordecim, ad *romanos* una.... ad *hebraeos* una. Similiter a concilio *carthaginensi* III. in canone sacrarum Scripturarum epistolis *Pauli* distincte additur epistola ad hebraeos hoc modo: Sunt autem canonicae Scripturae... *Pauli* apostoli epistolae tredecim, eiusdem ad hebraeos una. Praeterea ab *ephesino* I. et *chalconensi* concilio approbantur duodecim capitula seu anathematismi *Cyrilli* contra *Nestorium*, in quorum decimo dicta epistola citatur tanquam divina Scriptura, his verbis: Pontificem et apostolum confessionis nostrae factum esse *Christum*, divina Scriptura

(nempe ad hebraeos, cap. 3, v. 1) commemorat, etc. Ad haec concilium *araisianum* II. can. ult. epistolam ad hebraeos a *Paulo* scriptam luculenter indicat, dum ait: Unde et *Abel* iusto, et *Noë*, et *Abrahamae*, et *Isaac*, et *Iacob*, et omni antiquorum patrum multitudini illam praeclaram fidem, quam in ipsorum laude praedicat apostolus (nempe ad hebraeos c. 11, v. 4 et seqq.), non per bonum naturae, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam. Denique concilium tridentinum sess. IV. in decreto de canonicis Scripturis expresse etiam epistolam ad hebraeos ponit, et anathema dicit ei, qui non omnes Scripturas in illo decreto enumeratas, integras cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt.... pro sacris et canonicis.... susceperit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA

Praeter obiectiones iam alibi (2) contra canonem divinarum Scripturarum a Tridentino statutum afferri solitas et solutas restant non paucae, quas duce *Luthero* multi ex eiusdem aedecis, aut alii adversarii specialiter contra canonicam epistolae ad hebraeos auctoritatem in medium adducunt. Hae proin hic et in sequentibus quaestionibus discutiendae atque solvendae sunt.

90. ARGUM. I. Prudens vetustas de auctore huius epistolae et canonica eiusdem auctoritate dubitavit: ergo haec auctoritas merito est suspecta. Ita cum magistro suo *Luthero Magdeburgenses*. Sed Æ. et dico, inepte dici vetustatem de hac epistola dubitasse, cum, ut *Bellarminus* (3) observat, unum solum

(2) Vide p. 4 s. Script. contra incredulos propugn., V. T., sect. 1, q. 1.

(3) Lib. 1 de verbo Dei, c. 17.

(1) Hebr. c. 1, v. 5, c. 5, v. 8.